



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
lesv De Adoratione In Spiritv Et Veritate Libri Qvatvor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Cap. XIII. Quomodo pœnitentiæ & afflictiones corporis iuuent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

Duæ sunt causæ, quibus homines tenemur seruare & magnifacere gratiam. Vna est inæstimabile pretium, & inexplicabilis excellentia eius. Altera est pretiosissimus tuus Sanguis, ô IESV, quem fudisti, vt gratiam nobis mereris. Si non credimus valori eius in se, pretiosissimam putemus, cum tanto pretio nobis illam comparaueris. Maxima & stupenda res est, quam Deus, qui falli non potest, maluit vt haberemus nos, quàm seruare vitam illam pretiosissimam sui Filij.

CAPVT XIII.

Quomodo pœnitentiæ & afflictiones corporis iuuent.

Spinæ conseruant plantas in horto, & gratiam asperitates in iusto. In quassato & marcido corpore floret vis integra mentis. Vt sanum corpus reddât medici, magis affligunt illud amarissimis potionibus, inediâ, effusione sanguinis, adustionibus & maioribus tormentis: non nimis à te petitur, vt molestes quodam modo pro salute animæ. Qui languet, inter angores euomet nociua: sic & animæ vitia in vitâ iucundâ non purgantur, cum nec corporis vitia sine molestiâ curentur. Silex afflictus luces emittit: caro macerata illuminat mentem. Illa anima bestia est,
quæ

quæ corpus suum non tractat vt bestiam. Quemadmodum labores & calamitates immisæ à Domino, faciunt homines resipere & meminisse Dei, magis erudiunt, incendunt feruorem, augment Dei familiaritatem, eleuât cor: sic asperitates vltro assumptæ, parem fructum habent; faciunt, vt homo sapius in illis reminiscatur Dei, & diuinis illustrationibus aptior fiat, vacuus gustu sensibili.

Idonea dispositio maioris gratiæ, fit afflictio naturæ: hoc opus & labor gratiæ est, se iungere nos à temporalibus rebus, corporeis, & visibilibus; quare dimidium factum inuenit in austeritate vitæ: quæ tamen etiam ex gratiâ est, sine quâ nihil ex nobis est bonum, nihil vtile. Thronus & regnum gratiæ, & gradus ad gloriam, est profunditas humiliationis nostræ, cum afflictione corporis: & exaltatio mentis, crucifixio carnis. Instruis te quoque asperitatibus voluntariis ad necessarias, vt ex disciplinâ patientiæ scias ferre quæ Deus miserit: assuescis etiam & discis te vincere, & debilitas aduersarium tuum præcipuum, per quem ceteri te impugnant: impetras à Deo facilius, quæ exoptas. Licet sufficiens titulus pœnitentiis nostris sit Christus crucifixus: abundant prætereà alij; & præcipuè culpæ ipsæ nostræ innumeræ, & pœnæ pro illis, vt satisfaciamus commissis, & committendas

mittendas minuamus. Sit anima carnifex
carnis : ad hoc ex magna Dei indulgentiâ
non est in inferno damnata. Nonnumquam
contingit, vt ex duobus delinquentibus capi-
te damnatis alter complex absoluator, hac
lege, vt in socium exequatur sententiâ mor-
tis, fungens in illum munere carnificis, cum
alius deest. Complices peccatorum sunt ani-
ma & corpus : in istud anima sit ministra iu-
stitiæ diuinæ, & torqueat conuenienti suppli-
cio, siquidem non est præcipitata ad inferos,
cum primùm peccauit.

Nihil tibi transeat impunitum : te ipsum
timeas, crudelis tibi, iustissimus & seuerissi-
mus in omnes iniustitias & blanditias carnis;
omnia punire oportet. Nulla est vrbs optimè
gubernata sine curâ suppliciorum : nec con-
scientia ordinata erit sine tribunali & gladio,
vbi tot sunt facinorosi affectus. Vindicta
quam à te sumis, respondeat culpæ : caue ne
à te Deus rationem petat contemptæ & cor-
ruptæ iustitiæ. Vltionem à te sume, & quia
reus culpæ, & quia iudex iniquus, cum tibi
parcens toties te absoluiisti. Supplicia in vrbi-
bus fiunt, potius vt vitentur exemplo vnus
aliorum scelera, quàm vt minuantur damna-
ti culpæ & pœnæ : at cum in te animaduer-
tis, maior tibi fructus est ; non aliena sed tua
ipsa peccata deinceps compesces, ne com-
mittas,

F

mittas,

mittas, & commissorum pœnas tibi minuas. Non est iustitia, sed indulgentia seueritas tua: ultio hominis, est venia Dei. In omnibus tamen memento laudis ex obedientiâ, & vtilitatis ex prudentiâ; ne inconsultò, cum damno profectus tui, & minore gloriâ seruitij Dei & vtilitate aliorum, sumas asperitates: nam vbique fallacia est dæmonis. Cura tamen præcipuè & semper supplicium voluntatis propriæ, magis quàm corporis. At quousque circumspectio omni proprio amore nuda, atque iudicium Superioris pro cuiusque ætate, statu, viribus, inclinatione, occupatione, necessitate permiserit asperitates; sine misericordiâ, sine adulatione tui, in te sæuiendum est.

O Veritas misericors, quomodo mihi adlabor & mulcebo, si in mentem reuoco rigores & tormenta innocentissimi IESU, quæ pro peccatis meis tulit, & cruciatus animarum in Purgatorio? Ingens priuilegium esset, si animæ in pœnis illis terribilibus existenti Deus concederet posse satisfacere; vt hîc possumus, assumptis voluntariis afflictionibus. Fruamur nunc hac indulgentiâ Dei. Debitor centum talentorum, si creditor indulgeret illi debitum, contentus hac lege, si intra aliquod tempus soluisset vnum solum, anne recusaret pactum tanti lucri? Quæ a-
mentia

mentia nostra est, quòd malimus soluere centum in alterâ vitâ, quàm vnum in istâ? Sed quid opus erat remitti tremendas illas pœnas? sufficit decus carnis in venturâ vitâ.

Recordare quàm gloriosa & pulchra sint futura corpora in resurrectione; quibus venustas & splendor addetur, prout in hac vitâ afflicta fuerunt: mundus ex quo computa erunt in æternitate, est afflictio sordida & temporalis in hoc mundo. Nonnulli ne deformes hominibus appareant per breue tempus dimidiæ suæ vitæ, passi sunt cædi & torqueri membra & ossa: minoris stat pulchritudo æterna; non opus est scindi membra, sed non mulceri, & paululum affligi. Rectissimè hoc supputauit sanctus Iguatius noster Pater: qui cum nondum conuersus ad Deum omnino esset, os iussit secari, ne informis videretur, sine lacrymâ, sine gemitu, sine ostensione doloris & tormenti tolerans; at post conuersionem, magis dignum censuit pro pulchritudine futurâ in resurrectione asperitates ferre, ieiunia per integras hebdomadas, trinam flagellationem quotidie, genuflexiones prolixas, humicubationes, asperum cilicium, & sacco, nudipedalia, horridam totiùs corporis amictu & gestu tractationem. Pudor sit nostræ tepiditatis, etiam

Ethnicorum barbarorū rigor sine spe quam nos habemus ; qui ciliciis ferreis sectum corpus cruentum ferebant , suspendebant se vncis , interim canentes laudes Deo suo : sub curru simulachrorum subdebant se , & profcindebantur in frustra : abstinebant plurimum ieiunio dierum . Pudeat nos , quòd possit magis superstitio quàm Religio ; & furor , quàm Amor Dei .

CAPVT XIV.

Quòd nimius amor carnis impediatur spiritum.

SI caro , etiam si nata nobiscum , & sanguis qui viuificat nos , tam infensus est nobis , vt impediatur vitam spiritus ; caro cognata solum & consanguinitas ane prodesse poterit ? Erubescat spiritus cognationis nomine : quantò magis debet pudere cognatorum nimij amoris ? Si pudet carnem alterius carnis cognationis , si progenitores atque consanguineos obscuros negat ; quantò magis spiritum oportet pudere totius carnis , & consanguinitatis & prosapiæ ? Carnem propriam , quam animat , abnegare debet anima : cur nimis amabit alienam & exanimem , quæ aliis deseruiit , & fortasse iam non nisi vermibus pro stabulo & cibo seruit . Satis esset nobilitas gratiæ